Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1153
Quelle:
Copyright:

fitas legitur T. V. *Append. col.* 278.

XXV. *fol.* 59. *Omel. de uigil. paſchæ.* Initium: *Domini noſtri ibeſu chriſti ſalutaris et honorabilis ſolennitas* (ſic) *ſua fauente clementia fratres kariſſimi fideliter ueneremur. pietatemque eius ineffabilem admiremur. Qui non ſolum noſtrae redemptionis cauſa diuerſarum infirmitatum genera ſubiit. Uerum etiam ſacri cultus ritu per diuerſas feſtiuitatum gracias aeterne benedicciones nobis effecit cauſas. ut licet poſt multum inerciae ſomnum non tam inuiti quam uoluntarii ſanctae religionis dulcedine prouocante* (ad) *magnarum ſolemnitatum aduentum ſurgere compellamur. Expergefacti itaque libenter de ſomno inercię ſurgamus. et noctem hanc ſanctae paſchae letantes ducamus.* Sequitur deinceps modus hujus laetitiae, laus Noctis, et qua ratione ſanguine Chriſti reſpergamur, ut nos vaſtator tranſeat, finiturque: *cum ſuis congregemur ad cęlum Ipſo donante qui* &c. Neque hujus *Homiliae* vel Autorem vel Exemplar aliud deſignare queo.

XXVI. *fol.* 60. p. 2. *Item Omel. de Sacramento Paſchę.* Incipit: *Non queo fratres kariſſimi quod mente concipio ore proferre* &c. Extat T. V. *Auguſtini Append. col.* 282. et *Hieronymi* edit. *Vallarſ.* T. XI. p. 215. Spuria.

XXVII. *fol.* 62. *Item Sermo Sancti Aguſtini de Paſcha Domini.* Incipit: *Paſcha chriſti dilectiſſimi regnum eſt caeli ſalus mundi* &c. Prout extat inter ſpurios T. V. *Append. col.* 292.

XXVIII. *fol.* 64. *Incipit Omel. de Aſcenſione Domini.* Ita: *Multa ſunt diuinarum ſcripturarum recondita ſacramenta* &c. Extat T. V. *Auguſtini col.* 1073. edita primum e *Cod. Vindocin.* atque ita conferri meretur. Reipſa tamen parum variat. Maur. *Dominus revelare dignatus eſt.* Cod. *reuelare et aperire.* Maur. *aliquando ullo pudore.* Cod. *uel pudore.* Maur. *in quo reſurrexit, aſcendit.* Cod. *aſcendit in caelum.* Maur. *Quaſi contriſtatum eſt in ipſis.* Cod. *contritum.* Maur. *Totus in utero virginis.* Cod. addit: *ſed in utero uirginis.* In univerſum emendatiora ſunt Edita.

XXIX. *fol.* 70. p. 2. *Item Omel. de Aſcenſione Domini.* Infit: *Glorificatio domini noſtri ibeſu chriſti reſurgendo et aſcendendo completa eſt* &c. Genuina *Auguſtini* T. V. *col.* 1071. Sed terminatur iis verbis: *ſi non premat ſpiritum ſarcina peccatorum*, ut teſtibus *Maurianis* in multis *Mſs.* adſolet. Pro illorum: *Facta eſt ergo victoria*, Noſter legit: *vera victoria. Ipſi leo dictum eſt. ipſe agnus occiſus eſt*, pro *ipſe leo dictus eſt, qui agnus occiſus eſt. Ecce plus fecit quam illi inſultando exigebant* pro *Et plus fecit* &c.

XXX. *fol.* 72. p. 2. *Incipit Sermo de Pentecoſten.* (ſic) Initium: *Hodierno die credo quod nouerit caritas ueſtra aduentum ſancti ſpiritus domini aeccleſiam caele-*